



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Sev Manuale Episcoporum Pro Decretis in
Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.**

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1650

cap. 10. De distributione sessionum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9534

- 3 In media itaque naui Ecclesie paretur locus sessionalis hoc modo. hinc inde affigantur aulais schedulae patentes cum litteris grandi oribus, continentes nomina locorum Diocesis, iuxta scamna, pro Diocesano Clero preparata, ordine seruato secundum gradus locorum; vt quisque sciat, vbi sedere suo loco debeat.
- 4 Circumuniatur sessionalis locus, ita vt laici illuc intrare nullo modo possint.
- 5 Sedes Episcopi sit alta tribus gradibus tape te contextis, & hic inde sedilia collocentur pro Diaconis assistentibus: paretur etiam mensa parua cum suo panno violaceo collocanda, facile ante Episcopum sedentem pro Reliquijs, & serutinio, de quibus infra.
- 6 Hinc inde in quadrum sedilia longa pro Canonicis preparentur, vestita panno viridi. alta vnico gradu a pavimento. quod si ad futuri sint alij maiores Canonici, vestiri poterit prima pars scamni, quod a dextris Episcopi, & eidem vicinius est, panno nobiliori puta violaceo, aut alio, ad differentiam in eodem scamno a Canonicis faciendam. Ab bates, Commendatarij, Prothonotarij Apostolici, si vtantur rochetto, & mantelletto, sedebunt post Canonicos in eodem scamno, a sinistris Episcopi sedentis, quod obseruatur Mediolani.
- 7 In fine sedilium Canoniorum, facie versa ad Episcopum, sedebit iuxta dexteram Episcopi Vicarius Generalis in sede coriacea domestica cum parua mensa strata panno, vt praesto sit accedenti ad eum Clero pro varijs causis: in eadem linea sedebunt iuxta sinistram Episcopi in scamno nudo ad mensam aliam similiter vestitam Promotor, & Secretarius Synodi cum Notario Episcopali. mensae tegantur conuenienti panno, ad minus viridi.
- 8 Si Archiepiscopus praest Synodo, collocetur in medio centro areae, quae est inter Canonicorum sedilia, ante sedem Episcopalem sessionalem. scabellum commune pro eo, qui gestare debet Crucem Archiepiscopalem in Synodo, cuius imago Crucifixi respiciet semper Archiepiscopum.
- 9 Pulpitum amouibile pro Lectione Decretorum collocari poterit prope mensam, ad quam sedet Secretarius Synodi, vt inde suppedientur eidem, quae sunt leggenda.
- 10 Hinc inde a tergo Canoniorum sedilia erunt pro Clero Vibano: alia pro Foraneo occupabunt naui mediam, ita tamen, vt in medio iuxta Episcopum sit transitus omnino liber, & amplior ad eundem, redeundumve, prout est opus. Nobilior Foraneus

Clerus sedebit in anterioribus scamnis, reliquus in posterioribus.

- 11 Ad apparatus spectat ornatus Altaris maioris; & colore quidem rubeo vestietur, nisi aliud requirat solemnitas Missae, de qua infra.
- 12 Excepta Missa, vt dictum est, paramenta omnia in actione Synodali coloris erunt rubri.

DE DISTRIBUTIONE sessionum. Cap. X.

- 1 Numerus sessionum ex Pontificali solet esse trium; ad arbitrium Episcopi potest esse pauciorum ex eodem Pontificali. pendet autem hic numerus à rebus agendis in Synodo ipsa. ex Actis. Eccl. Mediol. potest esse plurimum, quam trium.
- 2 Prima Synodus ab Episcopo celebranda esset summa cum maiestate, & vtilitate Cleri, & populi, vt effulgeat Ecclesiast. Hierarchia; & ideo nihil esset omittendum, quod ad perfectissimam Synodum, quam hic describimus, attingere possit.
- 3 Ij etiam, qui non nisi tertio quoque anno Synodum conuocant, eadem obseruare deberent.
- 4 Qui vero quotannis celebrant, vna sessione possunt absolueri, quae sunt necessaria; omittis ijs, quae sunt ab splendorem, cum vtilitate tamen coniunctum.
- 5 Porro necessaria sunt ea, quae ad electionem, spectant Examinatorum, Iudicumque, & ad professionem fidei à nouis Beneficiatis emittendam.
- 6 Non tamen placere potest ea Synodus, quae per duas horas mane celebratur, vbi multus est Clerus. saltem per totum diem detineatur ille cum maior fructu.
- 7 Cardinalis Palaeotus in archiepiscop. suo Bononiensi distribuit actiones Synodales pro vna sessione, pro duabus, pro tribus, cuius distributionis formulam dabimus infra in 2. parte.

DE TABELLIS SYNODALIBVS. Cap. XI.

- 1 Describenda est primo disciplina Cleri in Synodo, & Processione, seruanda iuxta formulas infra tradendas: & haec Tabellae solent imprimi; pluribusque in locis Ecclesiae Cathedralis, & Palatii Episcopalis pridie Synodi affigi. Vide in 4. par. cap. 4. num. 1. 2. & 4.
- 2 Alia Tabella precum typis item editur, distribuenda toti Clero, ad vsum primae Process.